

81
Definie
propria pec-
cata mortali-
tis.

zimum perseguendo, temerariè cum iudicando, & similia. Vnde August. alludens ad hæc; peccatum sic definivit. Peccatum mortale est dictum, vel factum, vel concupitum, contra legem Dei: & merito; actus enim malus, intantum dicitur humanus, in quantum est a voluntate, seu mente: qui actus aut est elicitus ex quo exeunt malæ cogitationes, & desideria, aut est imperatus, idest ad extra perductus, & vt sic, aut est locutio, aut operatio, ex quibus proueniunt iniuria, blasphemia, & mala opera. recte igitur dicitur, peccatum esse dictum, vel factum, vel concupitum, &c. Et pro meliori intelligentia, omnes particulas per ordinem declarabimus, vt differentiam inter peccatum mortale, & veniale colligere possumus.

Primo dictum est (peccatum mortale esse deordinationem actus humani) pro genere, nam substantia actus propriæ, puta actus fornicandi, seu fornicari, tam in genere entis sumptus, quam in genere moris, ponitur quasi materiale in definitione peccati, & hoc in quantum voluntarius, ideo additum est (humanus) ait enim August. tolle voluntatem, & peccatum non erit.

Secundo dictum est (contra præceptum) nam quod actus humanus sit malus, habet ex hoc, quod caret mensura, & rectitudine debita, debita autem mensura, & rectitudo consistit per respectum ad aliquam regulam, à qua si deviat, actus ille redditur immensuratus, & obliquus: regula autem non est aliud, nisi ratio humana, & lex Diuina, pro quibus dantur præcepta, ut supra dictum est, & ideo dictum est (contra præceptum) pro formalibus, quia in hoc stat tota ratio peccati in vniuersali, tolle nanque præceptum, non remanet ratio peccati, nam facere contra consilia Diuina, regulariter non est peccatum.

Tertio dictum est, (contra præceptum Diuinum, vel humanum) vt comprehendantur omnia præcepta diuina, naturalia, positiva, Ecclesiastica, & leges humanæ legitimè condita.

Quarto dictum est, quo ad leges humanas (promulgatum, receptum, & non derogatum) dum enim leges non promulgantur, non tenemur illas obseruare, & promulgata cum sint, si non acceptantur, non obligant ad mortale, pariterque si postquam recepta sunt, successu temporis sunt derogatae, aut statuto contrario, etiam de primo mentionem non faciente, aut contraria consuetudine rationabiliter tamen, & per decem annos continuata, vt ait Silvest. Verbo consuetudo. §. 6. aut denique per non vium, legislatore id sciente, & tolerante.

Quinto dictum est (æterna poena munitum) ad excludenda quædam præcepta, etiam Diuina, quæ non obligant ad poenam æternam, ut mendacium aliquando iocosum, officiosum, & huiusmodi, quædam etiam præcepta quorum auctor non intendebat obligare ad mortale, vt sunt statuta Dominicanorum, & quorundam aliorum regularium, prout etiam habetur in regula Sancti Patris Benedicti, qui penam corporalem transgressoribus ponit, & in omnibus regulam ponit in manibus abbatibus.

Sexto dictum est (contra aliquod pro tali habitum: vel sit tale dubitatum) ad comprehendendum peccata facta contra conscientiam dictantem, vel dubitatem ea esse mortalia, quamvis in rei veritate talia non sint.

Septimo dictum est (contra Diuinum consilium contemptum) quia & si Diuina consilia non obligent, ut dixi, tamen ratione contemptus transgrediens mortaliter peccat.

Octavo dictum est (contra salutem animæ proximi spretam) quia qui facit aliquid, de se nō est mortale. putans per illud, proximū spiritualiter offendit mortaliter.